



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

XXIII. Der Rath der Neustadt Salzwedel bekundet unter dem Siegel des Markgrafen Albrecht die Bedingungen, unter welchen dem Priester Orbert der Jacobi-Altar in der Katharinenkirche übertragen ist, am ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

**XXII.** Albrecht und Otto der Jüngere überweisen das Eigenthum von 5 Höfen bei Labekath dem Altar Jacobi in der Katharinenkirche zu Saltwedel, am 4. August 1280.

Nos Albertus et Otto iunior, Dei gratia Marchiones Brandenburgenses, Recognoscimus et tenore presentium protestamur, Quod ad altare Beate Jacobi in Ecclesia Beate katherine Nove Ciuitatis Saltwedele Damus proprietatem quinque manlorum In villa latekote cum omni iure et attinenciis, Quibus Marquardus, eiusdem nostre ciuitatis ciuis, eosdem Quinque manfos dinoscitur haectenus habuisse, ita uidelicet, Quod predictum altare perpetua huius proprietatis donacione sic dotamus eo modo, quod sit Beneficium speciale, Et quod Consules eiusdem Ciuitatis, Qui uidelicet consules fuerint eo tempore, Quo vacare contigerit hoc altare, ipsum cuiumque voluerint conferendi habeant potestatem. In cuius euidens testimonium et memoriam sempiternam Damus presentes litteras Testium subscripcione et sigilli nostri appensione confirmatas. Testes autem sunt Dominus Geuehardus senior de Aluensleuen, Dominus Arnoldus de Iagow, dominus Helmoldus de Dreinleue, noster Aduocatus, Dominus Johannes de Stendal, dominus Wernerus de Schulenborch, junior Bodo de Walfoue et Quam plures alii nostri milites et Vafalli. Datum Saltwedel, Anno Domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXX<sup>o</sup>., secunda Nonas Augusti.

Nach dem Originale des Saltw. Archives XXXII, 1.

Danneil's Kirchengeschichte der Stadt Saltwedel S. 4.

**XXIII.** Der Rath der Neustadt Saltwedel befundet unter dem Siegel des Markgrafen Albrecht die Bedingungen, unter welchen dem Priester Dibert der Jacobi-Altar in der Katharinenkirche übertragen ist, am 13. Oktober 1281.

Univerfis Christi fidelibus, ad quos prefens scriptum pervenerit, universitas consulum nove ciuitatis Saltwedele salutem in eo, qui est omnium vera salus. Circumstantias conditionis humane et varietates rerum nunquam in eodem statu permanentium diligentius intuentes, nichil in humanis actibus ita firmum et stabile in presenti consideramus seculo, quod diurnitate temporis, que mater est oblivionis, non possit ignorantie nebulis sepeliri, et humana memoria, que valde labilis existit, extirpari, nisi litteris et sigillorum appensionibus roborentur. Nos igitur consules univrsi nove ciuitatis Saltwedele recognoscimus presenti ferie protestantes tam posteris quam presentibus, quod nos domino Otherto, sacerdoti, ex certa scientia domini Bartoldi, prepositi Saltwedlenfis, et ex consensu domini Ludolphi, parochiani nostri, Altare beati Jacobi, situm in ecclesia beate Catharine, dotatum elemofynis Iohannis de Stocken contulimus in hunc modum. Hyemali tempore missam celebrabit in ortu diei, tempore vero estivo missam cantabit immediate post compulsionem matutinarum, ita tamen, quod non cedat in prejudicium parochiani. Quandocumque etiam altare hoc vacare contingit, non alicui, cuiuscumque etiam ordinis fuerit, sed tantum sacerdoti ydoneo porrigemus, quod si intra triduum non porrexerimus, ipso iure porrectionis eo tempore privati sumus, et dominus prepositus Saltwedelenfis ydoneo sacerdoti porrigat, cui velit. Has autem missas cantabit: Dominica die missam de sancta trinitate sive de ipso die, secunda feria missam pro

defunctis, tertia feria de sancto Jacobo, in cujus honorem altare hoc est dedicatum, quarta feria similiter missam pro defunctis, quinta feria missam de sancta Katharina, sexta feria de sancta cruce, sabbato missam de beata virgine celebrabit. Hanc autem missam scilicet de beata virgine non dicat, nisi prius dicta missa parochiani, vel saltem post offertorium, sicut parochiano videbitur expedire, in missa autem pro defunctis Johannis de Stoken fundatoris altaris et omnium benefactorum ipsius memoria fiat publice ad populum. Predictus etiam sacerdos Otbertus, ut decet bonos sacerdotes, debet officio divino in summis festis et in solennitatibus interesse, item si funus presens fuerit vel dies offertorii venerit, ut videlicet nativitas domini, pascha domini, festum pentecostes, ascensio domini, solennitates beate virginis, dies alicujus apostoli, vel cujuscunque dies, quo solent homines sacrificare, antedictus sacerdos Otbertus et etiam sui successores suam missam differant celebrare ad placitum parochiani, Addito insuper, si parochiano necesse habuerit, Dominum Otbertum bono zelo vespere rogare poterit, ut sequenti die in sui adjutorium missam dicat. Oblationes, que ad altare predictum offeruntur, cedent parochiano. Verum, quod abesse cupimus, si predictus sacerdos Otbertus oblationes aliquas sustulerit, vel aliquos denarios pro missa votiva dicenda receperit, si probabiliter a parochiano vinci potest duobus vel tribus testibus fide dignis, ipso altaris beneficio est privandus et alteri nihilominus ydoneo porrigendum. Predicta constitutio perpetuo in omnibus successoribus est servanda. Hujus actionis testes sunt Dominus prepositus Bertoldus Saltwedelensis, Dominus Arnoldus de Jagowe, Dominus Fredericus, prepositus de Dyrtorp, Dominus Johannes de Dolechowe, Viceprepositus in Saltwedele, Dominus Denecke, sacerdos in Cozcebu, et alii quam plures fide digni. Nomina autem consulum sunt hec: Henricus Milde, Henricus Westval, Arnoldus Stefow, Hermannus de Hydfaker, Tydeke Stefow, Johannes Custos, Bodo, Johannes Wineke, Johannes Witteballe, Rudolphus de Blutmingh. Ut autem hec rata, perpetua et inconcussa permaneant, sigillo Domini nostri Marchionis Alberti et sigilli nostri munimine et sigillorum Domini Bertoldi, prepositi Saltwedelensis, Domini Arnoldi de Jagowe presens scriptum dignum duximus roborandum. Acta sunt hec Anno incarnationis Domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXXI<sup>o</sup>., III. ydus Octobris.

Nach dem Original des Salz. Archives XXXII, 2.

XXIV. Die Markgrafen Otto, Albert und Otto bestätigen den Verkauf des Bederechtes an die Einsassen der Stadt und des Landes Saltwedel und versprechen, die Urbedehebung nicht zu veräußern, am 3. März 1282.

In nomine sancte et individue Trinitatis Amen. Nos Otto, Albertus et Otto, fratres, Dei gracia Marchiones Brandenburgenses, Hujus scripti tenore recognoscimus et publice protestamur, quod civitati et terre Saltwedele, videlicet Ministerialibus, militibus, armigeris, burgensibus et Mercatoribus, agricolis et omnibus illius terre inhabitatoribus fide data promissimus omnia, que in privilegio nostro super venditione precarie scribi fecimus et eidem terre donavimus, nos immutabiliter perpetuo servaturos. Ceterum Urburam, quam nobis hi, qui in Advocatia Saltwedele resident, annis singulis in festo beati Martini recipiendam comparabunt, pro ratihabitione seu confirmatione datarum super venditione precarie literarum, arbitrati sumus et promissimus fide data,